

CAPUT IV

De jure Franciscanorum ad munus pastorale post divisionem provinciae Bosnae Argentinae usque hodie

Ulterius in inquisitione nostra progrediendo in praesenti capite multa nobis examinanda occurunt, quia vertente saeculo XVII et sequenti XVIII ineunte in pluribus quoad nostram materiam non parvi momenti modificaciones evenerunt. Magnae conturbationes diuturni belli imperatoris Turcarum cum imperio austriaco et Republica Venetiarum (annis 1683—1699)¹ profundissimas repercussions habuit tam pro provincia Bosnae Argentinae quam pro populo ipsius curae commisso. Dalmatia enim et Slavonia, pulsis Turcis, libertatae, sub christianorum potestatem venerunt: haec abhinc imperatori austriaco,² illa vero Rei publicae venetae³ parebat. Ipsa quoque provincia Bosnae Argentinae, jam prius nimia magnitudine laborans, nunc sub triplici ad invicem inimica potestate, valde difficile cum successu administrari poterat. Propterea a. 1735 ex ipsa, tripartita divisione, tres novae provinciae creatae fuerunt: S. Caji (postea SS. Redemptoris) in Dalmatia, S. Joannis a Capistrano in Sirmio, Banatu et Hungaria, et S. Crucis Bosnae Argentinae pro Bosna, Hercegovina et Slavonia,⁴ quae duae posteriores post octo dies uniuntur, ut iterum a. 1757

¹ Smičiklas T., Povijest Hrvatska, I, Zagreb 1879, 199ss, 233.

² Smičiklas T., Dvjestogodišnjica oslobodenja Slavonije, I, Zagreb 1891, 171 sq.

³ Šišić, Pregled povijesti hrvatskoga naroda, Zagreb 1916, 207; Smičiklas, Povijest Hrvatska, II, 233.

⁴ Arch. Con. Makarscae, Liber archivialis, f. 270—271.